



## CAPVT I.

De Cœli Orbibus, Motu, & Stellis  
in genere.

**M**Undi, universi hujus aspectabilis, systema seu Compages in duas potissimum Regiones non incommodè dividitur: In Elementarum seu Sublunarem, quæ infra Lunam Elementa, & ex his composita omnia complectitur: & Ætheream seu cœlestem, quæ supra Lunam stellas & corpora continet. Utramque considerat Physicus pariter atque Mathematicus, sed diverso planè modo: hic quidem, quatenus cælum vel terra mensurari potest; unde Astronomia & Geographia: ille verò, quatenus corpus naturale est, & reliqua corpora naturam propriam habentia continet; unde Cosmologia & reliquæ Physiologiæ partes.

Licet autem Cœli (de cujus stellis nobis præcipuè agendum) natura essentia, quam quintam quidam dicunt, specie ab aliis omninò distinctam, exactè non sit cognita, quòd propter immensam à terrâ distantiam sensibus non pateat: Astronomi tamen melioris doctrinæ & facillioris cognitionis causâ idem in certa quasi tabulata & conclavia distinguunt, quæ orbes vulgo seu sphaeræ appellantur. Priùs igitur, quàm stellarum cœli divisionem proponamus, pauca de Systematicâ totius mundi ætherei descriptione, & duplicis motus stellarum distinctione, secundum diversorum Artificum opiniones præmittere lubet.

Quod itaque superius tabulatum seu conclave spectat, ut inter omnes omnino convenit, quòd firmamentum seu Regio stellarum

larum